DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE

METHODO, MALIGNAS FEBRES SECUNDUM RATIONEM ET EXPERIENTIAM RECTE TRACTANDI,

Quam
FAVENTE DEO OPTIMO MAXIMO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBURGICO, CETERA,
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
SUB PRÆSIDIO
DN. GEORGII ERNESTI STAHL,
MED. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.
h. t. FACULT. DECANI,
DN. PATRONI AC PRÆCEPTORIS SUI OMNI OBSERVANTIÆ CULTU PROSEQUENDI,
PRO LICENTIA
Summos in ARTE MEDICA Honores, Jura & Privilegia DOCTORALIA rite ac legitime capessendi,
d. Jun. A. MDCCVIII. horis ante & pomeridianis
IN AUDITORIO MAJORI
Publicæ Eruditorum Disquisitioni sistet
GODOFREDUS HENRICUS ULAU, LIPS.

HALÆ MAGDEB. LITERIS CHR. HENCKELII, ACAD. TYP.



PROOEMIUM.



QUod pulcherrime Seneca, *Opinionum commenta*, ait, *delet dies*, *Naturæ judicia confirmat*; illud, quamlibet falſum haberi nequaquam mereatur, dolendum tamen propemodum eſt, quod tam rarum, aut veriùs fortaſſe loquendo, tam tardum vulgò, effectum habeat. Enim vero ſciunt ſine dubio, quicunque honeſtè vivendi rationem cordi habere, & invigilare vitæ ſuæ progreſſibus, ſatagunt, quanti momenti ſit *Exſpectare.* Certè, poſtquam in negotiis maximi momenti, *moralibus*, imò ad ipſam divinam juſtitiam pertinentibus, *retributio in tempore ſuo, ut labatur pes impiorum* (zu ſeiner Zeit ſoll ihr Fuß gleiten/) poſtulat horas ſuas atque moras: in *civilibus* autem etiam, nedum *naturalibus*, nusquam *præceps*

importunitas, quidquam ſolidi & perfecti abſolvit, ſed paſſim verè *ordinatis* atque *circumſpectis* opus eſt greſſibus, ut ad optatum ſcopum pertingere detur. Jam, ſi his etiam rerum in ſe ſpectatarum neceſſariis ſucceſſibus, adhuc ad latus ponatur, hominum, quoad illi concurrere aut intercedere poſſunt, ſolennius familiaris indoles; infauſta illa *inconſtantiæ* atque *varietatis* intemperantiâ meritò infamis: non poteſt mirum eſſe, imò ne dubium quidem, quamobrem *opinionum* illa *commenta*, tam *tardè* deleantur, *Naturæ* autem *judicia* confirmentur. Divinum eſt teſtimonium, certe ad omnem â DEO productam atque conſtitutam veritatem jugiter ſpectans, quod mortales magis ament *tenebras* quam *lucem*: cui ſi demum accedat, quod utique ſacrum elogium ſtatim jungit: quod *opera* ipſorum *mala* ſint: ſimulque *ſuperbia* illa perditæ pertinaciæ mortalium, quod omninò facit, jus ſuum tueri laboret: tantum abeſt ut *error veritati* de via decedere ſuſtineat, ut potius, non tam, quod ajunt, pro aris atque focis, ſed utique pro ſe ipſo, omnia experiatur, ut omninò primarii ſui magiſtri regulæ ſe accommodet & obſequatur: Cuncta quæ habet homo dabit pro anima

ſua. Interim, ſicut ipſa *Veritas*, ut omnis reliqua, & quatenus talis, ita etiam *naturalis*, omninò â DEO eſt; *inſita*, imo *indita* rerum tam *materiæ*, quam *ordini*, *energiæ*, & uſui ſeu *deſtinationi*; & hoc ipſo quidem reſpectu etiam nunquam verè tota amittitur aut deficit: maximè vero utique in *agnitione* debita, ab hominibus ita negligitur aut pervertitur, ut tanquam amiſſa aut certè abdita, â variarum liberè graſſantium & luxuriantium *phantaſiarum* nebulis obſcuretur: Ita fovet tamen ſuam creaturam divina benignitas, & conſtantiſſimè, & efficaciſſimè, ut nunquam penitùs obrui illam ſinat, quin variis, & certe paſſim potentibus ſignis, tanquam luculentis fulgoribus illam illuſtrem & conſpicuam reddat. Longum eſſet, & nimium quàm fœcundi proventus, negotium, ſi ad hanc conſiderationem revocare vellemus plurima illa ſpecimina, in quibus illa conſpicua ſui documenta exhibet; Placet potius vel unum, ſed tamen ſatis luculentum exemplum intueri, quod non magis ipſa facti veritate conſpicuum, quam maximi momenti & juſtæ æſtimationis dignitate, prorſus inſigne haberi mereatur. Erit hoc noſtræ, Medicæ conſiderationis, quoddam ſubjectum, in quo diluceſce-

re, & velut ob ipsos oculos, cum judicio perspicaces, sisti possit quadruplex reale Theorema, Thesin Veritatis divinæ, ipsi oeconomiæ corporis vitali insitæ: & Antithesin, falsitatis & erroris, extravagantis speculationis humanæ, pulchrè exhibens. Loquor de *vera atque sana Methodo, maligna miasmata febrili expurgationi idonea, salutariter superandi atque depellendi*: Et contrà fera atque vana *Amethodia*, his iisdem objectis temere & inconsiderate opposita. Cum autem Divina potentia, in sanctis suis sanctionibus nunquam temerè contemnatur impunè; nedum ut contrà ipsam insurgere, sine gravissimo periculo liberum esse posset, sed vere omnino deprehendatur dicendum hoc esse adversus stimulum calcitrare, & certo sibi ipsi malum quærere & accersere: Adeoque ingens profectò operæ pretium haberi mereatur, si, quantum usquam fieri potest, tam illa Veritas quæratur atque eruatur: quam hi errores extricentur atque repudientur: Placuit propterea, cum specimen aliquod publicum meæ de arte nostra scientiæ edere mihi incumbat, hoc ipsum Thema, quantum fieri potest, succinctè, & tamen quantum sufficit condignè, pertractare: Nempe METHODUM MALIGNAS

FE-

FEBRES SECUNDUM RATIONEM ET EXPERIENTIAM RECTE TRACTANDI, demonstratam exhibere.

DEUM autem Conditorem & Conservatorem omnis Veritatis, seriò oro atque imploro, velit benedictionem suam mihi largiri uberrimam, ut negotium tam serium, & certe etiam proximi usui tantopere commodum, imo necessarium, ita & assequar & exsequar, ut vel hinc etiam ineffabilis ejus sapientiæ, potentiæ, atque benignitatis aliquod testimonium, & usui generis humani verum emolumentum, resultet.

Th. I.

METHODUM MALIGNAS FEBRES, SECUNDUM RATIONEM ET EXPERIENTIAM RECTE TRACTANDI, demonstratam dare dum aggredior, habeo utique plura, quæ omnia quidem recte *distinguere*, singula vero decenter *dividere*, conveniat, ut ita toti negotio, quantum licet, & uti decet, satisfiat. Hunc in finem, nullum quidem negotium nobis facessere poterit *Methodi* significatio; utpote quæ nullum ambiguum sensum nec involvit, nec ferè admittit: dum quilibet facilè intelligit, quid sit *recta* quadam quasi *via*, *semita*, *ordine*, *progressibus* atque *successibus*, procedere & aliquid agere: Quàm nempè rem, nemine contradicente, *Methodi* vox con-

constanter denotat, *ordinatum* inquam, atque plane *proportionatum* incessum & progressum, ad certum aliquem *scopum* obtinendum, & vere *inservientem*, rationali *proportione*: & vere etiam *pervenientem*, certa atque nota *experientiâ*.

II.

Quam parum autem difficultatis hæc appellatio involvit, tam multum ex adverso complectitur MALIGNITATIS appellatio. Cum autem intentio nostra utique neque ferat neque permittat, ut prolixitati operam ullam addicamus, sed sufficere nobis potius possit, *positivè* mentem nostram explicare; asserimus proinde, quod per *malignarum febrium* appellationem, illas inprimis intellectas velimus, quæ omni modo ê *propria sua indole*, adeoque etiam *perpetuo & constanter*, Malignitatis participes sunt: Non illas, quæ quovis modo, & reverà magis *per accidens*, *malos* ejusmodi *mores* adsciscunt; â quibus deinde, præter *proprios* suos veros mores, hanc appellationem incurrrant & promereantur. Hujusmodi verò sunt quælibet *acutæ contagiosæ*, *Halituoso* miasmate ab uno corpore in aliud communicatæ. Ubi, quamlibet etiam febres cum *inflammationibus viscerum* conjunctæ, non immeritò â peritis, *malorum morum* nota afficiantur; cum tamen verum fundamentum illius *malignitatis*, non solum verius, sed plane etiam, uti vulgo loquimur, crassius, positum sit in *Inflammationum qua talium* intractabili, & tamen summe periculosâ, indole, cujus vel ullo modo expugnandæ, ipsa febris compos fieri non valeat, quin istæ, *ex & per se*, in funestum illum exitum ruant, tam sine ulla *culpa*, quam ulla *pote-*

state

ſtate ipſius *Febris*, (bono quidem ſcopo ſuſceptæ, ſed nullo effectu potientis,) Nolumus propterea talem abuſivam acceptionem, vera propriæ ad latus ponere, aut illam hoc loco noſtram facere. Unde iterum declaramus, quod de talibus præcipuè Febribus hic loquamur, quæ utique etiam ê directæ magis ſuæ, *ut Febrilis*, (*ut mobilis*, *ſecretioni & excretioni* ſic ſatis obſequentis, modo *methodo* juſta tractetur,) *materiæ*, aliqua OCCASIONE; maximè verò Febrilis MOTUS *atque regiminis* ipſius *culpâ*, & verè perverſo *more*, hoc opprobrium merentur. Adeò, ut cum in altero illo genere, culpa magis ſit in illa inſuperabili malitia *materiæ*; quæ etiam quantumcunque denique bonis atque idoneis *motibus* non pareat: hæc vera *morum malignitas*, directè potius in *motuum* perverſo ordine atque ſucceſſu poſita ſit: adeoque ſinceræ *morum malitiæ* imputari debeat.

III.

Huic tali, ad hujusmodi *malos mores* proclivi febri, dicamus *rectam* atque juſtam *Methodum*, qua hæc *malignitas*, hi inquam *mali* ejus *mores*, antè omnia *præoccupari*, ſed & *in viam* iterum reduci, debeant atque poſſint. Hanc aſſeveramus debere quadrare, tum ſanæ *Rationi*, â priori; tum *Experientiæ*, â poſteriori: illi conſpicuæ & evidenti; huic *certæ, firmæ*, atque *conſtanti*. Ita quidem *Methodi* hujus utilitatẽ, â *proportione* ſanæ *rationi* conſentiente, meritò arceſſimus: *Veritatem* autem ejus, ſeu actualem verum *uſum*, ipſius *Experientiæ* ſuffragio ſubjicimus.

IV.

Dum autem de *tractatione* ſecundùm hanc talem *methodum*, loquimur, minimè ſimpliciter intelligimus

ipsam *artificiosam*. Tantò minùs, cum hæc perpetuam illam *ambiguitatem* involvat atque foveat, ut in omnem partem, quantumcunque etiam non *diversam* solum, sed omnino *oppositam*, audacter allegentur exempla; quæ in dubium vocare, (quantumlibet in *rebus capitalibus*.) tamen *incivile* habetur: Reverà autem etiam ita nihil in solidum decerni potest, quando in simplicibus *contradictionibus* constituti, & quidem actu & simpliciter ad veritatem *facti* provocantes, â nemine æque possunt judicari, nisi rei simpliciter peritissimo. Necesse itaque omni modo est, sed & expedit, dum fieri potest, tantò magis omni modo, ut talia quàm maximè *experimenta* in hos usus allegentur, quæ & *omnium hominum* liberæ atque nihil præoccupatæ *observationi* exposita, & ab omni *præjudicio* satis remota, quasi pro se ipsis loqui, atque veritati testimonium illibatum perhibere, possint.

V.

Quod itaque dicimus, *methodum* hanc *malignas febres* rectè *tractandi*, debere respondere tam *Rationi*, quam *Experientiæ*; volumus utique hoc ipso illud ita intellectum, quod tanquam â priori, secundum vere rationalem considerationem totius *indolis* atque *constitutionis* talium febrium, curatio ejusmodi seu tractatio ita quadrare debeat, ut omnino etiam *intelligi* possit, quod talis tractatio vero *ordini* æque, atque universo *scopo*, & debito vero *effectui*, adeoque *salutari eventui* talium febrium, verè satisfacere possit. Sicut enim, quod *methodo*, *ordine* non solum aliquo, sed *justo* omnino, atque tam *materiæ* substratæ, quam *effectuum* designatorum *proportioni* respondente, geri atque administrari debet, utique secundum considerationem mutui *respectivi habitus intelligi*,

&

& ſecundum hunc intellectum *regi*, neceſſe eſt: ita certè in hoc etiam noſtro negotio, *methodicam* illam tractationem, eadem ratione æſtimare convenit, quod nempe idem inferat, atque cum *intellectu debito*, juſto *ordine*, *ſucceſſibus*, *proportione*, *ſubſidiis*, vere adminiſtrandam eſſe.

VI.

Quod autem porrò *Experientiam* concernit; quam tanquam *normam* methodi hujus, & verum veluti lapidem lydium ejusdem, pariter conſtituimus; nequaquam hujus nomine intellectam volumus illam, quæ ſimpliciter de *artis* effectibus atque præſtationibus narrat. Cum enim hæc adeo ſummoperè diſcrepet, ut reverà ſine ulla injuria dicere liceat, quod paſſim etiam ſimpliciter *contradictoriis* inſiſtat (vel *dulcium Saccharatorum*, *acidorum*, & *ſalium volatilium urinoſorum*, exemplis: quorum nihil eſt, quin ab aliquibus ut *utile*, *probum*, & *efficax*, laudetur & uſurpetur: ab aliis è contra ut *inutile*, *periculoſum*, imo *noxium*, incuſetur, imò damnetur:) interim utrique æque tales, ac etiam alii, licet non ad ſimilia *extrema*, tamen ad *diverſa* & alia abeuntes, uno ore *Experientiam* teſtem citent: Quas ita pugnantes provocationes, cum inter ſe conciliare operoſum, examinare atque reprobare odioſum: damnata aliorum aſſertione, ſuam propriam experientiam aliis veluti ſimpliciter ſequendam injungere, damnatis propriis opinionibus non ſolum, ſed etiam aſſeverationibus, invidioſum ſit: Expediet itaque talem *experientiam* circumſpicere, quæ omnibus tam *præjudiciis*, quam odioſis reſpectibus atque ſuſpicionibus vacua, præterea etiam adhuc ita *conſpicua* ſit & velut obvia, ut veri documenti dignitatem hoc ipſo tanto

magis tueri possit, quod *evidens* sit, & non *facilè* solum, sed etiam *ab omnibus*, comprehendendum.

VII.

Sanè vero ingens in hoc genere passim occurrit cordatæ animadversioni, *historica* hujusmodi *evidentia*; quod certe passim, ridiculis hujusmodi jactationibus *propriæ* suæ *auctoritatis*, *sagacitatis*, *solertiæ* & *industriæ*, in consignandis variorum morborum simplicium historiis, verum genium & indolem illorum exhibentibus, non solùm negligantur, talium eorundem documentorum luculentornm tam quotidianæ, quam passim etiam immenso numero obviæ, & partim jam notissimæ, partim ita ad considerandum promptissimæ, occursationes: sed vel plane, præcipue ex hujus rei neglectu, simul vero theoreticarum peculiarium opinionum præjudiciis, talia proferantur, & in verarum historiarum locum substituantur, quæ etiam â simplicium plebejorum, aut minimum â Medicis rebus in solidum alienorum, inter ægros autem versatorum, hominum, meliore notitia omnino aliena existant.

VIII.

Jam, cùm non solùm aliæ *febres*, sed *malignæ contagiosæ* omninò eminenter, ita ad multorum hominum notitiam perveniant, ut si solum moneantur, quarum circumstantiarum reminisci illos velis, facillimè illarum testimonium perhibeant: tanto minus suspectum, aut, ut sub hoc nomine, *ambiguum*, cum illis certe in mentem non venire possit aut vulgo soleat, quem *respectum* ipsæ tales circumstantiæ, nedum quæstiones de illis propositæ, habere possint. Simul autem talium *testium* numerus lon-

longè maximus haberi possit, quorum uniformis consensus, nemini sani cerebri, tanquam *collusionis* alicujus suspectus esse possit: Est certe propterea hæc talis, hujusmodi testimoniorum subsidiis suffulta atque firmata, *experientia*, dissonis illis provocationibus ad *propriam* observationem, in re penitus suapte natura *communi*, omnibus modis præferenda, eique, inprimis ut ab omnibus præjudiciorum diverticulis alienæ, longè securius atque certius innitendum.

IX.

Nequaquam autem prætermittenda est vera atq; realis illa distinctio, quâ in medicis rebus discernenda est *Ars* vere methodica, â simplici *Empiria*, etiam ipsa *verâ* atque *laudabili*. Cum enim utique dentur experimenta talia, vel etiam hic illic allegentur, tam pro aliis certis affectibus, quam pro ipsis etiam febribus: (exemplo illius, quod *Kergerus* tanquam infallibile allegat, expresse adjiciens, quod illius ope febres expugnet non solum *sine discrimine*, sive ut ipse loquitur, sine *distinctione*, adeoque ulla consideratione *speciei*; sed etiam quarumcunque *temporis* atque *progressus* ratione, &c. quod tam simpliciter *Empiricum*, quam eo ipso, de quo loquimur, ingenuè ἀμέθοδον est.) Nos itaque, cum de *Methodo* malignas febres tractandi loquamur, neque respicimus quorumcunque aliorum assertiones simpliciter *experimentales*; quomodo nempe peculiarium, & vere *singularium*, medicamentorum ope, febres *promiscuè*, quin etiam *certas* solùm seorsim, vere & in solidum *curare* calleant: imò vero ne quidẽ ullo modo de veritate assertionis illorum dubitare nunc quidem in animũ inducimus: (optantes certè toti generi

 huma-

humano, ut & *verissima* essent & planè *notissima*, quæ *Helmontius* de suo *Mercurio diaphoretico*, *Kergerus* de suo Artificio, *Mortonus* de *Cortice Peruviano*, *Apinus* de *Cortice* illo peculiari, de quo loquitur, prædicarunt:) Sed insistimus decenter, & recte atque ordine, nostro utique vero atque constanti proposito, de *methodica* Febrium tractatione verba faciendi atque dispiciendi. Tantò magis utique, cum nondum satis detectis talibus illis, quæ etiam sine exquisitæ atque circumspectissimæ *methodi* præsidio, febribus talibus vere satisfacere possint, *methodus* quæ hoc facere valeat, certe sit *unum* illud *necessarium*, cui recte invigilare, eoque ad votum potiri, totum ita sit, quicquid in tam arduo negotio ullis votis assequi sit integrum.

X.

Tantò magis autem tenenda utique est vera hæc, non tam solum *distinctio*, quam rei ipsius *diversitas*, dum ipsa nostra præsente tractatione, nequaquam simpliciter respicimus ad *purè artificiales*, *Medicas*, febrium harum tractationes; quales nempe per *experimenta* vel simpliciter absolvi, vel ad minimum quam maximè juvari & instrumentaliter perpetrari posse, videri queat: sed & quam maxime respectamus ad illas, quas sine *artis* adminiculis, *sua spontè* perpetrare valeat ipsa *Natura*; imò verò hoc ipsum ita actu ipso præstare *soleat*, ut plurimum intersit, hanc ejus *Methodum* omnino rectè cognitam habere: propter hoc ipsum, ut illam verè peritissime *administrare*, commodissime in *artis* usum adsciscere, imo illam potissimum arte *sublevare*, & ad optatum suum *scopum* rectissimè perducere, intelligamus.

X. Sicut

XI.

Sicut enim Natura, utique nudorum *experimentorum* in suo corpore nullam habet energiam aut potestatem; cum omnia sua nudis *motuum proportionibus* atque *subordinationibus* exsequi necesse habeat: ita est tamen simul quam maximo opere etiam perpetuò notandum, quod Ipsa utique huic suæ potestati, diligenter in effectum & usum deducendæ, ita constantissimè invigilet, ut vix ulla evenire possit oeconomiæ corporis sui perturbatio, quin Ipsa istam mox in ordinem redigere non solum *aggrediatur*, sed etiam pertinaciter *persequatur*. Agat hoc autem omnino *methodo*, partim quidem, & generaliter, *materiali* rerum indoli quam optimè conveniente: specialius autem, singularem quandam operationis strictissimam *commensurationem* complectente.

XII.

Nisi itaque vero & simplicissimo & potentissimo *experimento*, simpliciter verè *artificioso*, *extrinsecus* subministrando, perturbationes illæ tales revera simpliciter ita sedari, & universa illarum energia simpliciter corrigi, aut prorsus aboleri possit, frustra certè fuerit, illam *methodum*, quam *Natura* ipsa observat, negligere, nedum illi insigne aliquod *impedimentum* atq; remoram objicere. Ubi certè, si illa spes non verè rata esse possit, ut nudis *experimentis*, omnis causa ulterioris *operationis* laboriosæ expugnatoriæ, auferatur; sed opus adhuc maneat *methodica* potius aliqua tali resistendi dexteriate: Relinquimus quidem aliis, quid sentire velint de adhuc *commodioribus* quibuscunque me-

tho-

thodis, ipsa forsan *arte aliter*, quam Naturæ insitum est, instruendis: Nos autem pro certo utique habem9, ejusq; rei ad minimum etiam *rationem* testem mox sistemus, quod *verior*, *commodior*, & omni modo *securior methodus*, universim inveniri plane nulla possit, quam ipsa illa quam Natura insitam sibi sequitur: imo non dissimulamus etiam, dubitare nos, quod *arte* maximopere solùm etiam *facilitari* atque *sublevari* possit, exceptis nudis *consiliis* seu *regiminibus* potius, quam realibus quibuscunque *materiis* seu experimentis.

XIII.

Ut itaque, præmissis hac ratione veris acceptionibus illarum rerum, de quibus sermonem habere instituimus, negotium ipsum aggrediamur, sistemus primò omnium loco, *Historiam*, tam *Febrium* harum, quatenus *methodi* nominatæ obsequuntur atque quadrant, quam methodi illius ipsius, quæ ipsis ita satisfacit, & pariter quadrat: & indicabimus dehinc etiam, tanquam *historicè* pariter, *Experienttam* illam, quæ de *historica* fide veræ efficaciæ hujus *methodi* ad hos effectus, testimonium irreprehensibile ferre possit: & tunc demum deducendis etiam argumentis *Rationis* operam navabimus; & quidem tam *positivè*, quomodo talis *methodus* talem effectum rectissime assequatur; quam *negativè*, quomodo alii quidam modi atque methodi simili scopo quadrare non possint.

XIV.

Quod itaque *Historiam* harum rerum veram concernit, habent febres hæ *malignæ*, tota inquam sui & *materia* tales, & ad *mores* indomitos aptæ, quinimo proclives, *contagiosæ* ante omnia, hanc præcipuam evidenden-

dentem conditionem, quod *materia*, quæ ipsas suscitat atque fovet, sit *longè tenuissima*; utique invisibilis *halitus* consistentia, de corpore in corpus transferenda. Porrò etiam, quod *pauca* esse possit mole, vel *rabiei caninæ*, morsu etiam exiguo, exemplo: tandem autem *activitatis* maximæ & verè velocis: dùm certè omnes morbi *contagiosi*, *febriles acuti*, veram suam ἀκμὴν ultrà *primum septenarium* nunquam, aliquot etiam talium nè quidem ultra *quaternarium*, extendunt, quin, non elisa sub talis temporis spatio, potissima ad minimum *materiali* sui causa, infeliciter omninò, aut certe summè ambiguè atque periculosè, cedant.

XV.

Observatur autem hujusmodi Febrium, si decenti *methodo* non obsequantur, illa potissimum energia, ut patientes vel subtilissimis *inflammationibus internis* corripiantur; simul acerrimis ad præcipites *corruptiones sphacelosas*: vel post ipsam mortem, ita potente atque præsente *putredine*, totam massam humorum corripiat, ut nulla *spontanea*, & ex propria sui textura humoribus competens putrefactio illi comparari possit: sed verè *fermentativam* indolem ita exhibeat, ut miasma illud *contagiosum*, veram talem energiam *fermenti*, ad præsentissimè exacuandam *putredinem*, habere, hinc intelligi possit. Id quod de *Peste* præcipuè notum est; quâ quidem emortuos, præsertim pro tempestatis ratione, ne quidem totos intepescere, passim memorant, quin concepta spumida *putrescendi fermentativa* vehementia, mox *turgescant*, *livescant*, *nigrescant*, *mollescant*,

cant, imò in tabum diffluant. Sicut etiam ejus rei, magnæ inquam energiæ *corruptivæ* (quomodocunque tandem *corruptio* illa explicetur,) conſpicua eſt abundantiſſimè efficacia in *Variolis*; Quarum perfrequenter quam maxima quantitatis, in uno eodemque corpore efflorescens, irrequietis augmentis atque ſucceſſibus, ita *inflationem*, *coloris* alterationem, in *pus* mutationem, intra tres, quatuor, dies: aut ſi hæc minime ſuccedant, inprimis autem copioſius egreſſæ citò iterum retrocedant, adhuc intra brevius tempus *mortem*, poſt ſe trahant.

XVI.

Alterum quod in Febrium talium *hiſtoria* obſervare licet, eſt illud, quod non ſolum pleræque, ſed tam uſitatisſimæ, quàm fere vehementisſimæ illarum, inſignes quasdam *ejectiones* ad ambitum corporis, ſeu ipſas partes circa ſummam *ſuperficiem*, una involvant: Reliquæ etiam quæ nihil æque hujus faciunt, tamen *ventilationes* ſui per corporis *ſuperficiem*, adeò efficaces habeant, ut non ſolum â decente illarum *ſucceſſu*, manifeſtiſſimum ſummum *uſum* reportare ſentiantur: ſed hujus etiam dignitas atque magnitudo tanto magis æſtimari poſſit â ſummo *damno*, etiam communiter irreparabili, quod ab hujus exonerationis conſpicua *cohibitione* his obtingit.

XVII.

Tertium, quod pariter ad hiſtoriam ipſam *methodi* decurſus hujus attinet, eſt utique primarium illud phænomenon, quod hæ tales Febres brevi *temporis ambitu* abſolvantur; ut jam ante dictum: ſecundarium autem, ordine quidem, licet nequaquam pariter tota dignitate, ſed potius hoc intuitu adhuc majoris conſiderationis, quod

quod *breve* etiam hoc tempus, in longe breviores *opportunitates* velut inclusum, iisque *limitatum* sit, imò verò verè *circumscriptum atque* determinatum: Nempe *dimidio* & *integro* dierum *septenario*, *quarti* inquam quasi *medietate*, sed incipiente statim; & pariter etiam *septimo*.

XIIX.

Intra hos itaque dies fit Febrilis *fomitis*, primo *excretio*, ut ita vel ê *toto* corpore, vel ad minimum ê partibus *nobilioribus*, illa expellatur. Secundo, ut hoc fiat vel PER ipsum *extremum* totius corporis emunctorium, ipsam corporis usque *superficiem*; vel ad minimum AD hoc ipsum usque, & *intra* illud ipsum, aut sane partes non ipsi solum *confines*, sed & pariter omnino ê reliquo universo systemate veluti *remotissimas*, ante omnia vero utiq; à *tenerrimis* atque *nobilissimis*, *visceribus*. Hoc ipsum autem, tertio, peragit utiq; ejusmodi *moderatis commotionibus humorum*, quales *subtilibus transpiratoriis* tam *evacuationibus*, quam ad easdem *deductionibus*, s. *directionibus* satisfacere possint. Unde, quartò, hæ febres non solum *calore*, & qualibuscunque alternantium *exacerbationum* commotionibus, sinceræ atque sibi recte constantes, sunt quam *mitissimæ*; sed etiam architecto harum circumstantiarum primario, *pulsu*, *lenissimæ*. Nec etiam quinto usque quoque inclinant ad alias, sive *commotiones*, sive *evacuationes*, *fortiores* & quoquo modo *vehementes*: Imò verò, sexto, non *ferunt* plane eosdem, quantumlibet, *septimo*, etiam *ad eadem loca* ducentes: nedum, octavo, ad *alia*: imò prorsus *aliena*. Interim etiam nono, *ces-*

sationem quoque nimiam, nihilò melius, seu potius nihilò minùs ægerrimè, tolerant.

XIX.

Ut jam Methodi hujus non solum convenientiam cum *Ratione*, sed veram ejus fundationem in illa, seu necessitatem secundùm illam, ob oculos ponamus, quod primum concernit, nempe ipsam *excernendi intentionem*, atque totam eo tendentem omnium *actionum destinationem*; nihil certè usquam simpliciùs consonum est rectæ *rationi*, quam ut illud, quod œconomiæ vitali periculum minatur, imò objicit, ê toto corpore extermineтur, & toto loco ab illo absit. Sicut enim longe simplicioris est operæ, rem molestam aut noxiam plane simul & semel exegisse; quam eandem relinquere intra corpus, & demum vel *activitati* ejus ad nocendum, vel ipsis malis *effectibus* demum, obsistere, succurrere, aut utrumvis horum ad bonam frugem, reducere: Ita est hoc certe omni rationi tantò exquisitius consentaneum, in tali constitutione, ubi non solùm *materiæ activitas* sit eximia, genus vero etiam *damni* penitissimum, & irreparabile: sed etiam re ipsa *corrigendi* atque *subigendi* simpliciter nulla potestas. Id quod de *Naturæ*, seu *regiminis oeconomiæ animalis*, *sibi relictæ*, propria potestate ac habilitate, absolutè tutique omnino certum atque verum est; Quod, inquam, illa, talem *materiam*, directè atque simpliciter *corrigendo*, simpliciter & absolutè nihil possit: sed unicè *movendo*, *emovendo*, *excernendo*. Certissimè vero etiam in solennibus illis *malignarum* febrium speciebus, *artis* prætextus atque vulgò jactatæ medicamentorum potestates, directè atque simpliciter *correctoriæ*, nisi impruden-

dentes audire consentiant, solidissimè impudentes censeri necesse habeant. Unde utique tam Natura, quam Ars, recte & ordine secundùm sanæ *rationis* cynosuram procedere, judicari debent, quando potius directè totum *damnum*, *causamque* ejus atque *potentiam* effectus, penitus *exterminatam* ê corpore volunt; quam circa ipsam demum *tentare*, & perierga exercere: tanto magis, cum *Naturæ* ipsi horum nulla plane potestas relicta sit.

XX.

Neque verò minus luculenter consentit veræ *rationi* rectæ, ut talis *materiæ*, qualis est in his febribus, *excretio*, fiat *per*, & *ad*, superficiem, seu *extremas* partes corporis; & hoc propter uno plures respectus: Non tam æquè *physicos*, quâm inprimis *finales*. Nam, licet utique quantumcunque *subtilis* materia, tam in humoribus & universo corporis latifundio *oberrare* atque differri possit, quàm ut per superficiem corporis, in *halitum* resoluta, iterum ex eo abigatur: Certè tamen *finalis* illa ratio, quod corpus nequaquam debeat *destrui* quamdiu *possit servari*, exigit hoc & impellit, ne illud, quod aliis physicis respectibus & modis utique posset manere, actu toleretur ut maneat. Simliter, quamvis nulla necessitas ipsius *materiæ* hoc inferat, ut illa, quocunque progressu (citra plane peculiares *directiones* motuum secundum *gradus*, *progressus*, & *meatus*, seu *loca*) præcisè ad illud emunctorium ferretur, ubi *commodissima* & *halituosæ* excretionis forma dissipari possit: Suadet hoc tamen certe, ut ita agatur, eo dirigatur, & convenientibus successibus propellatur, eadem *finalis ratio*, ut utique *eliminetur*, QUIA noxia atque deleteria sit, si hic actus non exerceatur & administretur.

 (Unde

(Unde etiam, quod hæc res minime neceſſorio fiat,ut non poſſit non fieri, ſed poſſit quàm maxime non fieri, nimium quam luculentum exemplum præbent atque teſtimonium perhibent numeroſi talium febrium eventus funeſti; quando nempe hic progreſſus vel planè *non* ſit, vel non ſatis *ordinatè*, non ſatis *tempeſtivè*: aut in proceſſu ſuo temerè iterum *turbatur*: quod ipſum etiam cum ita mirè facillimè & propemodum frivolè fieri poſſit, eſt utique ingens ſtatim documentum, quam inanis habenda ſit illa totius *materialis tendentiæ* energia.) Ita tanto magis *rationi* conveniens eſt hæc ad illa loca corporis *emotio*, quoniam hæc *materia* non ſolum per nullam aliam viam utiliter *excerni* poteſt; ſed etiam ſub ſui excretione, in nulla alia parte corporis, cum *minore*, imò vero ſine *ſummo*, periculo, qualemcunque notabilem moram trahere, quam in hoc uno. Ut taceamus, quod etiam per hunc talem locum longè latius diſſipari, & ab illa *unita vi Agendi* activitate majore, ita plurimum impediri poſſit: quin etiam ita ſigillatim *diſtracta*, atque latè *expanſa*, reverà propriam excretionis ſui ſpeciem, nempe *exhalationem*, unicè hîc recte aſſequi.

XXI.

Sane vero locutio illa, quam Veteres perpetuo in ore habent, amandationis atque propulſionis noxiarum materiarum ad *Ignobiliores* partes, immenſum quantum plus habet veritatis, quam recentiores illæ muſcipulæ, *exquiſitiſſimæ figuræ pororum* ad *captandas ſpecificas materias*, in SOLIS talibus partibus, & nusquam alibi, efformatorum. Quemadmodum enim ingenioſa

ſa hæc videri poſſet, & plane mechanica, excogitatio, ſi hæres ſimpliciter ita, & *non aliter*, fierent; imò ſolum hâc quidem ratione longè *facillime*, (nedum ut verus ille indomitus niſus inde colligi poſſit) *alia* verò, aut plane *contraria*, reverà difficillimè procederent, ita reverà oppoſitum plane nomen meretur, quando notiſſimum illud agnoſcitur; quod hæc ipſa talis *emotio* non ſolum ſic ſatis *difficulter* ſuccedat; ſed etiam in medio placidisſimo ſui ſucceſſu atque progreſſu, longè *facilius*, & multis quidem modis, *perverti*, imo in *contrarium* converti posſit, quam ſolum in *juſto ſuo proceſſu conſervari*, nedum *promoveri*. Ubi ſupervacuum fuerit monere; quod ex hac re *indifferens* ille habitus, ut ad quaslibet *vias* atque *loca* materia talis pari promptitudine posſit ruere, clare diluceſcat.

XXII.

Jam cum experientia teſtetur, *materiam* hanc quæ his febribus pro fomite inſervit, ſi in *internis* tenerioribus corporis partibus radices agat, inevitabilem illis *corruptionem* inducere, & nominatim quidem non *inflammatoriam* ſolùm *acrem* ſed plane ad *ſphacelum* ruentem: Nihil utique rationi magis conſentaneum eſt, quam hujusmodi *materiam*, ab illis partibus *depellere*, & ad illa loca *ejicere*, quorum tum firmiori texturæ minus promptam noxam inducere valeat: tum, ſi quid omninò etiam tale eveniat, damnum quod inde naſcitur ad ipſam ſummam negotii *Vitalis* ſit nimiò levius, quam in illis *viſceribus*.

XXIII.

Similiter autem ipſi utique maxime *rationi* ſimpliciter conſentaneum eſt, ut *materia*, quæ corpori inſigne periculum minatur, ſecundùm proportionem *activita-*

tis

tis ſuæ, etiam ſatis *maturè* ex illo proſcribatur. Sicut enim neque ſecundùm *materiæ* conditionem, neque ſecundum *finis* rationem, actiones ſuas inſtituere, vere atque proprie â *ratione* alienum eſt: Ita huic certe unice quadrat, imò convenit, *actionum menſuram* atque *methodum*, ſecundùm illa ſubjecta & objecta inſtruere, iisq; vere exæquare. Ex hoc maximè fundamento, reſpondet utique ſanæ *rationi*, ut *malignarum* febrium, valde malignæ efficaciæ *materiam* ſortitarum, etiam tota periodus ſit ſatis *brevis*. Id eſt, ut *expugnatio, expulſio, extruſio* hujusmodi *materiæ*, tam promptis ſucceſſibus adornetur & abſolvatur, ut toto loco ſuo mota, ê toto inquam corpore proſcripta ſit, priusquam ſatis temporis nanciſcatur, ad peſſimos ſui effectus veluti quietè exercendos.

XXIV.

Quo nempe intuitu facilè utique intelligi poteſt, quamobrem hiſce Febribus *acuta* periodus quaſi propria ſit. Ubi certè meritò iterum breviter taxare juſtum & æquum eſt, phantaſias illas, quæ univerſum Febrilium commotionum apparatum directæ efficaciæ ipſius *morbidæ materiæ* adſcribere laborant. Infeliciter certè uni eidemque principio, & quidem ſimpliciter *materialiter* agenti atque habenti, ita plane contrarios eventus aſſignantes, ut intra unam eandemq; temporis periodum, aut certe proximè parem, alibi *ſalutariter* ê corpore erumpat: alibi in eodem reſtitans, *vitam, ſpiritus vitales*, imò totam illam *œconomiam animalem*, ut *ens activum ſeorſim ſubſiſtens, mechanicè* obruat, opprimat, exiſtinguat, & graviſſimo præponderandi antiſacomate tam profundè deprimat. Cum enim contra omnem peritiam *Pathologiæ Clinicæ* hoc ſit, quod *ullæ*, nedum *omnes, malignæ* febres vera

ra ſtricte dicta *Criſi* ê corpore diffugiant; ſed potius veris ordinatis *ſucceſſibus* demum hujusmodi exitum proſequantur: ſub quibus interim, inprimis circa illa *pathetica* febris conſectaria, *inquietudinem*, *vigilias*, *anxietates*, *impatientiam*, *inappetentiam*, *ſitim*: tum etiã circà *phyſico-mechanicas*, ſeu potius *organicas*, *commotiones*, *pulſus* inprimis atq; *toni*, tum etiam *excretionum*, non tam ſimpliciter *ſucceſſivarum*, quam paſſim etiam in certas periodos *diſtributarum*, etiam ſub *ſalutari* ſucceſſu, tota Febris nulla proportione imminuatur aut decreſcat, ſed ipſis demum *periodi terminis*, liberaliter in *euphoriam* optatam procedat: Ab omni certe ratione alienum eſſe debet, quod etiam *malè* imo *funeſtè* cedens hoc negotium, *ventilationibus* ſuis debitis deſtitutum, non adeò maximopere *citius*, nec *impetuoſiùs*, peſſimum ſuum eventum abſolvat. Quod tamen ipſum minimè ſimpliciter ita fieri, vel innumera exempla teſtantur. Dum uni exemplo, ubi, præcipiti veluti ruina, intrà *pauciſſimos dies*, hujusmodi Febres in ipſam mortem terminantur (ſub patientium aliquorum magna *plethorâ*, immediate prægreſſis ſanguinis gravibus *commotionibus*: conjunctis *animi* indomitis perturbationibus: *Medicamentis alexipharmacis*, *camphoratis*, *myrrhatis*, *valdè calidis*: *regiminibus* immaturis & immoderatis: Et contrà, patientium intemperante obſequio, *refrigerationibus*, *frigidis* potibus, aut ſi hæc denegentur, *iracundis indignationibus*: aut *vomitoriis*, *venæſectionibus*, *purgationibus*, *clyſteribus*, *opiatis*, intempeſtive & intemperanter adhibitis: quin etiam peculiari *cacochymia*, aut planè *viſcerum* integritate graviter læſa, &c. manifeſtius implicitis & cooperantibus:) facile numeroſa alia ad latus poni poſſunt, ubi non ſolum *pari*, ut in rebus *ſalutari-*

ter terminandis, sed etiam longè *majore* cum impetu symptomatum, febres ejusmodi, etiam omninò ad *mortem* tandem exeuntes, tamen *diutiùs* ita regnent, quam alibi ipsæ ad *salutarem* eventum pertingentes: & hoc quàm maxime, si nullis *artificiis*, nec aliis quibuscunque ante dictis vitiis, gravius exasperentur. Nempe resistente utique etiam ibi adhuc, quamdiu ulla usquam spes superest, *Naturæ activitate*, neque quidquam intentatum relinquente, si superare adhuc detur morbidæ materiæ energiam, illamque proscribere & exterminare.

XXV.

Neque vero magis â sana *ratione* usquam abeunt *duæ* illæ insignes circumstantiæ, quæ plerisque harum febrium planè communes sunt. Nempè, *primo*, valde *lenis commovendi* methodus, in generè. Secundo, *internarum secretionum & excretionum* interim veluti *suspensio*, seu retentio notabilis. Quibus rebus, tertio, non immerito annumeratur, peculiaris (sub rebus etiam quantumque prospere procedentibus,) *animi ambigüitas*, *pusillanimitas*, imò vaga *anxietas*, perpetua *vigilantia*, & omnis securæ *quietis* absentia. Ut de *inappetentia*, inprimis carnium; *sapidorum* autem, atque *potuum* longè majore appetitu, nihil prolixius allegemus.

XXVI.

Certè enim, quod primum attinet, *vehementes* quælibet *commotiones*, & inprimis *crassarum excretionum* apparatus, alienissimæ essent pro tali materia, quæ, *halituosæ* tenuitatis, dispari expulsionis generi nequaquam obedire potest. Unde, cum *exhalatio* per sudationem, *vaporosam* potius, quam simpliciter *fluidam*, nullas usquam vehementes agitationes, neque *locales*, nec *intestinas*, sangui-

guinis postulet; nedum ut *Vomitoriis, Catharticis, diureticis* directis, *hæmorrhagicis* (præsertim specialibus, ad unum singulare emunctorium directis,) excretionibus, compensari valeret: Non potest propterea ulla alia mensura *commotionis* hic locum invenire, nisi sola talis, quæ *assiduè* quidem *paulò auctiori* secretioni, quantocyùs fieri potest, quadrare possit: nulli autem alii scopo æque satisfacere necesse habeat.

XXVII.

Hujusmodi autem est utique illa harum febrium, sibi constantium, & non *per accidens* depravatarum, constitutio, commotionis localis & intestinæ sanguinis, admodum *moderatæ* atque *tranquillæ*: Cujus intuitu hujusmodi febribus affecti, & ab *accidentalibus* perturbationibus immunes, neque *calorem* vehementem sentiunt, neque *pulsus* valde vehementem exagitationem offerunt, neque *capitis* doloribus admodum cruciantur, nec aliarum etiam partium eximios dolores usquam accusant, (nisi quidem *inflammatio* aliqua subsit, sed ad febrem *quà talem*, & verum illius genium, nullo jure referenda; tam parum, quam *malignitas inflammationis* cum *malignitate febris* confundenda:) Sed potius *frequentiam* atque *celeritatem* pulsus, *parvitate* ejusdem ita compensant, ut inde vulgaris acceptio locum invenerit, quod *malignarum febrium pulsus*, tanquam essentiali quadam sui ratione, sit *debilior*.

XXIIX.

Quod autem in plerisque *malignis*, certe vero in directè *exanthematicis*, in multis subjectis *alvus* retineatur; inprimis circâ tempus peragendæ *exclusionis* exanthematum: hoc ipsum certe etiam *Rationi* tam

consentaneum, quam quidquam usquam aliud, apparet. Sicut enim *retentio* materiæ illius exanthematicæ quolibet intuitu periculosa est; imò hoc eodem omninò respectu, meritò vel ipse liber aditus atque commeatus patulus hujus materiæ ad intimiores corporis teneras *vitales* partes, periculo non plane vacare, facile intelligi potest: cum utique notissimum existat, quantum summi periculi, imo sic satis familiariter irreparabilis damni, incumbat illis, qui in hujusmodi febribus largiorem conversionem materiæ hujus malignæ ad *interiora* experiuntur; & quomodo hinc, tanquam ordinarie, excretionum *alvinarum* impetus cooriatur: Ita has *excretiones copiosiores per interiora*, potius supprimi, generatim *oppositornm opposita ratione*, præferendum apparet: ex consideratione vero prudente, tantò facilius agnoscitur, quod *seclusio* largioris aditus humorum ab interioribus partibus, commodê inserviat eorundem uberiori secessioni ad *exteriora* loca, in hujusmodi febribus unice securiori atque optabili.

XXIX.

Ubi interim neminem prudentem æstimatorem *indolis humanæ* turbare poterit, quod satis magno numero occurant exempla subjectorum, exanthematicis febribus affectorum, quæ hujusmodi *constipationem alvi* non experiantur, sed naturali ejus successu nihil imminuto, decursum universum suæ periodi securè absolvant. Sicut enim hujusmodi constitutio ordinariè conjuncta est cum reliquo totius talis affectus decursu satis prospero, imò facili; & præterea generaliùs indolem sectatur quam maxime *vegetam*, aut ad minimum *ordinatam* atque *tranquillam*: ita quilibet certè satis intelligen-

ligentes rerum talium, hujusmodi quidem subjecta separabunt ab aliis, ingenio magis *sollicito, meticuloso* atque *diffidente*, interim tamen rebus suis utique *intento*, instructis. Tanto magis autem distinguent ab utrisque talibus, tertii commatis indolem, sive *impatienter turbulentam*, sive â *trepidatione* facilè in *anxias* perturbationes, & fluctuantes, imò præ consilii angustia, in præposteros conatus imminentem. Ubi nempe plurimum certè refert, ut ea, quæ affectui ipsi manifestiùs competunt ac debentur, á reliquo *individualium* circumstantiarum *accidentali* flexu, secernantur: utpote qualis sæpe numerò vel postulare, vel tolerare, aliquid tale potest, quod in diverso genio, inprimis sensibiliore aut trepidiore, ingentes turbas concitare, & gravibus periculis, imo damnis, ansam præbere possit.

XXX.

Nequè verò placet prolixè insistere illi considerationi, quam pulchrè cum sana *Ratione* conveniat, vera etiam *inappetentia*, quamvis aliis quoque Febribus passim usitata, tamen *malignis* communiter exquisitissimè addicta. Imò etiam *sitis*, in aliis quidem variis febribus varià proportione, ferè semper tamen *insigni* conspicua; in *malignis* autem, satis sæpe non equidem absens, sed tamen, directè ab his febribus, non admodum *intemperans*. Sicut enim ab ipsa etiam Ratione desumtum videtur illud antiquum: *Corpus impurum quò plus nutriveris, eo magis læseris*: Ita non absonum certè ab eadem haberi debet, si res ita damno quam usui propior, ipsius Naturæ *fastidio* potiùs notetur, quam ut inconveniente, secundum has circumstantias, appetitu, probari videretur. Diversa res est

circà ipsum Potum; ubi *dilutio* non solum *in genere* omnibus secretionibus ê latifundio humorum, quàm maxime conducit; sed etiam, *per individua*, tantò magis passim necessaria haberi debet, quantò plus fortè *spissitudinis* in aliquo individuo sangvini incumbit. Interim, cum in *malignis*, non tam crassa quadam *copia* peccantes substantiæ secernendæ veniant; nec etiam tota febrilis commotio, quatenus *calorem* parere potest, in his febribus sit tanta, ut insignem considerationem mereatur: ingentem, inquam, transspirationem, uberiore *humectatione* resarciendam, non introducat: Respondet proinde etiam hæc talis *sitis*, sensibilis quidem, sed tamen moderata, *Rationi* hujusmodi proportionis *causalis* satis *commodè*: imò passim etiam per individuales diversitates magis exquisitè. Plura vero in hanc rem jam pridem dicta sunt à D. D. Præside, Programmate *de Abstinentia ciborum, inprimis carnium, in morbis, præsertim acutis.*

XXXI.

Neque verò, porrò, dissentit â Ratione sibi optime constante, methodus secretionis & excretionis, *successiva* quidem potius, cum *præcipiti simultaneæ* nusquam in talibus pateat locus; interim *assidua* tamen, & communissime omnium, non tam secundum usitatam medicam acceptionem nominis, *continua*, quam magis *continens*, quanto *malignior* est febris genius. Sicut enim â sana *Ratione* alienum foret, vel simul & semel, brevi & præcipiti quocunque tentamine aggredi, quod latè & tenuiter in humoribus *disseminatum* hæreat & vagetur; dum ex adverso, proportionata tandem prosecutio, & satisfacere potest universæ intentioni, & magis etiam

iam eidem quadrat; Ita respondet, ad eandem omninò amussim, ipsum hoc alterum cœptum, dum non solum nihil interrupta, sed etiam penitus *assidua* prosecutione, omninò insistitur negotio, quod nihilo magis negligenter agi debet, quam præcipitanter aut violenter peragi non potest.

XXXII.

Sicut autem hæc non facilè in dubium vocatum iri confido in genere; ita loquitur veluti pro se ipso eventus ille *Erysipelaceo-apostematodes*, qui in *morbillis* & *variolis* se exserit. Cum enim hujusmodi *materia*, si circà *interiora* retinetur, ibique pessimam illam suam *corruptivam* efficaciam absolvere valeret, irreparabilia utique damna datura esset; quæ hac ratione sola utique evitantur, dum ab interioribus ad exteriora repellitur, tonicis directionibus: Ita hoc ipsum tamen etiam *successibus* potius peragi, cum præcipiti *impetu* fieri non possit, ejusdem utique est solius sanæ Rationis consilio atque destinationi consentaneum. Cum enim â Naturæ potestate alienum utique sit, materias has intus in corpore *corrigere* atque *subigere*; neque quidquam adeo aliud remaneat, præter solum consilium easdem *emovendi*: uti tandem ex universo corpore, ita primum omnium præcipuè â *nobilioribus* partibus: Ita suscipi hoc negotium, *ordinatis* omninò ejusmodi, quales scopo directè quadrant, succesfibus & motuum moderamine, est utique hoc ipsum, de quo sermonem habemus, *Rationis* æstimationi respondens agendi inventum. Cui omninò vel contrarientur necesse est, vel ad minimum minimè respondeant, quæcunque cœpta, aliam aut oppositam viam directe insistentia.

XXXIII.

XXXIII.

Hactenus de *Ratione*, & ejus convenientia cum hac febrilium excretionum *methodo*. Quod jam iterum ad *Experientiam* attinet, certum hoc utique est & undique constans, quod, quibus patientibus in hujusmodi febribus res suæ ita, uti dictum est, succedunt, illis optime exeat universus affectus; quibus autem contrario modo res procedunt, illis etiam planè adverso eventu totum febris stadium funestè cedat. Sicut autem hic talis successus & eventus, ipsi utique sibi relictæ & constanti Naturæ, dictis modis certò obtingit; ita non abit usquam ab hac semita etiam usitatissima Experientia *artificialis*; nempe secundùm arbitrarias etiam *artis* methodos agendi intentio aut qualiscunque inventio: de qua itaque restat dicere, quod tam ipsi veritati, quam scopo Dissertationis nostræ conveniat.

XXIV.

Duæ sunt generatim viæ, quibus curationem morborum adire liceat; una per simplicem atque directam *Empiriam*: altera per *methodicam* administrationem. Illa nititur *Experientia* ita nuda, & strictissimo sensu dicta atque sumta, ut nullam veram & realem *intellectus* applicationem secundùm qualescunque causas admittat, & potius ad ineptias damnet nimis audacem in hoc genere curiositatem: adeò certè, ut longè rarissimè simplicissimæ solum generalissimæ opinioni, ulla verisimilitudo relinquatur, irrita in solidum omni spe ad ullam *specialiorum proportionum* perceptionem perveniendi. Altera ex adverso, verè *methodica* curandi ratio, innititur utique *rationi*, sic satis perceptibilibus *proportionibus*, tam *morbidæ causarum* morbidarum, quam *medicæ*, materiarum medica-

ſarum: *energiæ*: E quarum rerum mutuis occurſibus, per artem ita prudenter inſtruendis, demum ſecundum ſanæ *rationis* dictamen utique exoptatus effectus, corpori ſalutaris, morbo vero fatalis, juſto ordine, & penitus *intelligibili*, (ad minimum in genere) ſi non agendi, tamen fiendi *ratione*, inde reſultet. Quo inquam intuitu *Methodicum*, veræ & incorruptæ Experientiæ reſpondens, neceſſariò ſimul eſt *Rationi* conſentaneum, adeoque etiam ad juſtam *artificioſam* adornationem atque *gubernationem* tantò propius diſpoſitum.

XXXV.

Sicut autem jam ſuprà mentem noſtram ex bona parte aperuimus de *Empiria*, verâ, & nomine ſuo digna, in negotio febrium malignarum; ita quicquid etiam ejus ſit, in noſtro utique præſente propoſito illi quoquo modo immorari, eſſet contra univerſam noſtram intentionem; utpote quæ ſimpliciter ad *Methodicam* tractandi rationem, ejusque commendationem reſpicit. De hac itaque iterum aſſeveramus, & ſummo quidem ſuo jure meritoque, quod illa, *artificialis* inquam *methodica* tractatio, *ſpontaneæ* tamen ſuperſtructa, ſit inprimis illa ipſa, *Rationi*, æque ac *Experientiæ* conſona. De *Ratione* poſſemus ſuperſedere prolixè agere hoc denuo loco, neque certe aliter in animo habemus, nempè poſitivè etiam *artificialem methodum*, & *moderatè*, & per *diapnoën* potius, quàm per alia quæcunque evacuationum genera rem gerere, Rationi conformem eſſe, denuò non ſtabiliemus. Interim, cum Medicæ noſtræ rei ea hodie ſit facies, ut non tam ſimpliciter poſitivê, quid conveniat, ſed etiam *privativè*, quid non conveniat, ſtabilire paſſim expediat, placet in hoc etiam genere ad minimum illud monere, quod *di-*

versæ methodi, ad summam morbi, tam contra *Rationem*, quam ipsam *Experientiam* impingant. Ita enim *materiam*, quæ *halitus* consistentia gaudet, *crassis* quibusdam commovendi & evacuandi methodis aggredi: & quæ *late* in humores *tenuiter expansa* & disseminata sit, illam *unâ* aliquâ *particulari* evacuatione subducere velle: & quidem, cum *activitas* hujus materiæ ingens omninò existat, *brevi* nempè tempore, nisi maturè subtrahatur, maxima damna perpetrare apta; per hujusmodi *particularem* locum æque ac evacuationis speciem, depulsionem hujusmodi materiæ absolvere velle, irritum omninò existit.

XXXVII.

Ubi maximo certe jure monere convenit, ut in rerum quantumlibet optimarum justa æstimatione confusio evitetur, eoque ipso simul veræ bonitati rerum splendor suus asseratur. Est *experimentum*, sed sane *methodicum*, Excellentissimi Medici, quo ille, sed cum debita prudentia, utitur, in *Variolis & Morbillis*, ut *alternis diebus*, *lene*, sed *peculiare*, *laxativum* remedium, una cum *vomitorio*, exhibeat; idque ita iteratis etiam vicibus per decursum totius morbi repetat. Sicut enim nec in genere, hanc rem prolixius persequi æque placet, sed suo potius auctori eandem cum tempore publicæ luci vindicandam, relinquere; Ita in specie tamen breviter sub indicare sufficiet, quantum nobis adhuc innotescit, quod 1.) hæc *methodus*, non tam *omnibus* malignarum speciebus destinetur, quam præcipue *variolis* & *morbillis*; 2.) quod non tam ipsum affectum seu morbum universum sive *præoccupet*, sive auferat; dum ille tam *excretiones* suas, quam solitam reliquam *periodum* exsequi minimè cessat: sed *symptomata* solùm ejus *accidentalia*, nimium copiosum

efflo-

efflorescentiæ proventum, adeoque auctiorem nimio *inflammationem*, & ambiguæ *retrocessionis* eventum, ita præoccupando, mitissimum illum, & quasi vere sibi relictum, efficiat atque servet: 3.) idque non tam ulla alia ratione, quam proventus *bilioso-acris* saburræ, tanquam *fomitis* acerbiorum symptomatum præ occupatione. Ubi 4.) nimio plus situm est in illis *Laxantibus*, quæ hujus methodi Patronus in usum hic trahit, *Manna*, aut *Cassia*; materiis *fermentescentiam* blandam sangvini conciliantibus: ubi, si quis in animum induxerit, tanquam simplicem & directum scopum *laxativum*, quantumcunque *acribus stimulantibus*, magis simpliciter & directe *purgantibus*, supplere, illi merito commendanda erit vera observandi ἀκρίβεια, quam *salutares* in *febribus acutis*, imò *malignis*, esse possint *Diarrhoeæ*: ad justam omninò *imitationem* debitæ observationis potius, quam opinionis, de altero medicamento, quod inauspicato creditum est, *Febres acutas* crasso & rudi effectu *laxatorio* cicurare: cum duæ specialissimæ circumstantiæ, primo exquisitæ *aciditatis* ab *oleo vitrioli*, secundò necessitas conjungendi *largissimi potus*: (ne quid de tertia, si non in genere, tamen in specie admodum heteroclitorum eventuum, circumstantia prolixiùs dicamus) bene aliam crucem figant temerariæ imitationi hujusmodi medicamenti, per deceptam opinionem solius *cathartica* efficaciæ nomine noti, & hac directa efficacia utilis reputati.

XXXVIII.

Unde potius iterum nostro utique tramiti insistentes, asserimus ipsi sanæ Rationi contrarios esse tales ausus, qui verè ipsam *materiam* talium affectuum fomitem, per alia loca directe & ex instituto ducere sibi

ſumunt. Nedum qui tale quiddam adhuc inſuper non ſolum *promiſcuè* quolibet morbi *tempore*, ſed planè in ipſis mediis apparatibus, quin *motibus* ejusmodi materiæ, contrariis, convenientioribus, aggredi non vereantur. Unde quidem nihil certius neque citius reportant, niſi talem, non ſolùm funeſtam, ſed etiam præcipitem, communiſſimè vero prorſus irreparabilem, cataſtrophen. Quod præterea etiam in periculum non admodum diſpar vergit, ſi vel maxime convenientiores excretionis *viæ* ſerventur, pro artificialis proſecutionis ſcopo; interim neglecta *opportunitate* Rationi etiam conformi, *impulſus* ſolum ad illam viam *præpoſtere*, alieno *tempore* atque *Ordine*, ſuſcipiatur: Quo certe errore haud multo minus periculi paſſim conciliatur, quam ſi quælibet alia præpoſtera *via* tentata fuiſſet. Interim hujus ipſius etiam rei ad minimum generalis ratio, non deeſt, quamobrem indigeſtam adhuc materiam *ſimul & ſemel* exagitare; imò verò potius *exagitationem* totam nimiam & importunam concitare, non poſſit niſi heteroclitum eventum poſt ſe trahere.

XXXIX.

Ita nempe confirmat hoc utique indies etiam Experientia; de *artificialibus* inquam hujusmodi practicis auſibus. Quando verè *malignis*, *contagioſis*, tantò magis autem *exanthematicis*, *acutis* febribus, dum in genere fortiora *Cathartica*, aut *calidiora* dicta *Alexipharmaca*, aut *Regimina* coacta, æſtuoſa, & ſudorifica, adhibentur; tum in ſpecie, quando tale quid *alieno tempore*, tum *paroxyſmorum* qualiumcunque, tum totius *periodi*, ſuſcipiuntur. Ubi quidem de *Variolis & morbil-*

lis jam propemodum paulò notior evadit ipsius vulgi obſervatio, quod *præmaturæ*, & inprimis coactæ magis *anxiæ* diſpoſitiones ad *ſudores*, ad promovendam excluſionem (cum optima atque ſaluberrima, etiam locuples atque copioſa, horum exanthematum eruptio, ſibi maximè conſtans æque, ac relicta, minimè *ſudorem* comitem habeat) res patientis perpetuò magis turbent, atque periculo, imò funeſto exitui, propius admoveant. Interim etiam in *Eryſipelaceo-catarrhalibus*, uti ſatis frequentia & familiaria occurrunt exempla, ita tandem etiam monitos mortales ſpes eſt huic rei animum propiùs intenſuros eſſe, & falſas, imo vel data opera fictas & mendaces, poſt rem funeſtè geſtam, larvationes, hujusmodi temerariorum auſuum, de teſtaturos.

XL.

Huic autem perverſæ viæ contraria utique eſt illa, quæ *Naturæ* ipſi, tam *materiarum* quam *motuum proportionatorum*, inſiſtens, illa potius agit, quæ *agenda*, & ipſa *Ratio* confirmat, & *acta*, ſalutaris exitus *Experientia* commendat. De qua, *Experientia* inquam ſalutaris exitus, qualem artificiales variæ methodi non tam polliceri, quam præſtare, poſſint, placet adhuc ſemel ſuppeditare atque commendare, tanquam Lydium lapidem, *Poſtulata* illa, ante hos 14. annos â D. D. Præſide in publicum propoſita, ſchediaſmate quod nomine *Problematum ad Hiſtoriam & Pathologiam febrium pertinentium* notare voluit; ubi nempe in ipſo Præloquio: hoc monet, ut cautè & o- „ mninò ſtudiosè obſervetur, quidnam veri & conſtan- „ tis emolumenti experiantur patientes, quibuscunque, „ adeoque etiam malignis noſtri cenſus, febribus affecti, „ quando hujusmodi methodorũ quacunque tractantur; „

„non dicam,quod,cum notorium ſit,in quæſtionem ve-
„nire non poteſt, an ſimpliciter à toto morbo liberentur
„ſed, 1.) an *tolerabilius* inde habeant; decurſum inquam u-
„tique morbi continuantem, ſaltem *leniorem* ſeu benigni-
„orem experiantur? 2.) *citius* ſolum, & periculo, & toto
„morbo perfungantur? 3.) *velocius* inde, *alacrius* etiam
„& *conſtantius*, ad plenam ſanitatem revertantur? &
„quidem 4.) magis ita atque melius una harum artificio-
„ſarum machinationum, quam altera? imò verò 5.) ulla
„tali, inprimis autem quânam, magis, & certius quidem
„atq; conſtantius? quàm alii nullis plane hujusmodi ſub-
„ſidiis uſi, ſed rem, quod ajunt, ſimpliciter Naturæ re-
„linquendo, interim moderatâ continentia, & prudente
„abſtinentia, uſi. Ubi tamen ſimul meritò etiam com-
„mendamus animi adverſionem ad *negativas* harum
„quæſtionum obſervationes pasſim deprehendendas.

X L I.

E quibus conſiderationibus ſicuti, quantum usquam neceſſe eſt, luculenter innoteſcere poteſt, quod aliæ *Methodi* Experientiæ ſuffragium nullaten9 aſſequantur, ſed ſola illa potius, uti ſecuriſſima, ita certiſſima ſit, quæ tam *materiæ* ipſius indoli, quàm *oeconomiæ vitalis* ſolitis *actionibus*, quam maxime quadrat & conſentit: ita vertitur utique in eo verus cardo totius negotii, ut etiam *Ars* hanc methodum ſcitè *ſequi*, & *promovere* potius atque *juvare* intelligat, quam ullo modo vel *negligat*, vel aliis tentaminibus *ſupplere* ſatagat: Nedum ut huic *contrariâ via* incedere audeat, & methodo *contraria* huic methodo obſiſtere. Quod ipſum nempe quotiescunque verè in effectum deducitur, nunquam

quam aliter cedit, quam ut non solum *funestum*, sed etiam *velocem* talem exitum sortiatur.

XLII.

Asseveramus itaque omni modo, quod etiam *artificialis* vera *methodus*, *malignas* febres ad salutarem exitum rectè tractandi, consistat, I. in ejusmodi *commotionibus* atque *directionibus secretoriis & excretoriis*, quæ magis ad *peripheriam* corporis materiam morbidam adigant, quam ad quamcunque aliam excretionis speciem aut locum. II. In *moderamine* hujus directionis, *assiduo* quidem, sed tamen *moderato*: *brevis* quidẽ ambitus, sed tamen non præcipitis *impetus*. III. Observando æquè, atquè suis qualibuscunque actionibus servando atque sectando non tam *opportunitates* illas, quam veluti *momenta periodica exquisitiora*, quæ vulgo *critica* dicuntur: aut certè IV. sub horum ipsorum *mensura* nihil alienum audendo. Ubi etiam V. eo magis cavendum est, ne *antè* opportunum *tempus* etiam tales commotiones suscipiantur, quæ ceteroquin ipsa *specie* reliqua etiam utiles esse possent. Nedum VI. ut tale quid etiam *præposterè* suscipiatur, & novæ commotiones eo tempore instruantur, quo sibi magis relicta Natura, & non nisi placidè adjuta atque sublevata, jam deferbuit, ita verò denuo ad ferociorem commotionem exacerbata, tandem constantem errandi finem ipsâ morte faciat,

XLIII.

Præbent sanè hujus rei documentum constans & perpetuum, exemplo ubilibet inveniendo, *Variolæ* & *Morbilli*. Quales certè excretiones, uti minimè absolvuntur, nisi *constantiore* per aliquot dies alteratione motus sanguinis *secretorio-excretorii*, sensibiliter auctiore: Ita si ta-

ſi tamen hujusmodi commotio per qualemcunque *artem, medicamentis* aut *regimine*, aut utroque, juſto *velocius* incitetur, aut *ferocius* concitetur, non poteſt fieri, quin omnes harum rerum conſcii multiplicibus exemplis commeminerint, imo adhuc indies animadvertant, fieri, ut vel plane *non erumpant* puſtulæ debitæ; ſed ingentibus anxietatibus & anguſtiis prius opprimatur æger, quam ullum bonæ frugis ſucceſſum experiatur: vel etiam erumpentes omninò puſtulæ, tanto *impetu* procedant, ut nec ille benè cedat; ſed uni ê duobus malis inprimis ſubjaceat, nempe vel *nimis copioſo* proventui: vel *inſtabili* exanthematum durationi, & *promptisſimæ retrocesſioni*; vel denique ſymptomatibus *ſuppurationis inflammatoriis* intolerandis. Ita etiam habet ſeſe, adhuc magis ſenſibiliter, præſentis apud nos conſtitutionis *Febris purpuratæ miliaris*; in qua certè quid posſint qualitercunque intemperantiores *commotiones*, intempeſtivæ *incitationes*, *efflore ſcentiæ* detentiones, *retropulſiones*, imò â talibus objectis occaſionibus etiam ipſæ *retrocesſiones* quaſi ſpontaneæ, poſſet puto ipſa noſtra urbs Halenſis non exiguo numero exemplorum docere, non tam ſpeculativa aut affectata *Theoria* perquirendorum, quam ſatis in vulgus notorum, & tali deinde ſolum excuſatione involvendorum &c.

XLIV.

Imò verò, confidimus & pro certo omninò habemus, fore, ut magis magisque ad plenum intellectum, imò verò uſum, traducatur, monitum illud Medici, qui primus in hac materia non ſolum ineptire deſiit, ſed etiam ſolenniter hoc toti ſcholæ Medicæ commendavit, *Sydenhamii*. Qui nempe, in *Variolis* inprimis, & *Morbillis*,

lis, maximo opere commendat τὸ ἐπέχειν, *abstinere ab artificiis*: non quidem simpliciter & absolutè pertinaciter *planè nihil* agendo; sed ad minimum nihil *turbando*, imò verò prudentissimo consilio *praeoccupando*, ne quid *intempestiva* patientium aut concurrentium satagendi sollicitudine, incommodè perpetretur. Quae certe circumspectio, tantundem valet, *privativo* juxtà scholarum idioma, usu, quàm *positivâ*, ubi locum habet, subveniendi industria.

XLV.

Hoc utique intuitu recte & ordine colligi & concludi potest, triplex totius nostrae propositae considerationis stabilimentum. I. Quid rectissimè in substrata nostra materia, Febrium inquam malignarum salutari tractatione, *fiat*? II. Quid circa eandem feliciter obtinendam & in constantem effectum deducendam, recte atque salutariter *faciendum* sit, *artis destinatione atque directione*? III. Quid utrisque modis, sponte aut arte *perperam*, & insalubri ausu ac eventu, agitetur? Quod primum concernit, egimus de eo, ut puto, satis prolixè; asseverando, quod in Naturae sibi relictae, & commodè procedentis, ordine, malignarum febrium decursus absolvantur 1.) *assiduis* quidem, sed 2.) *moderatis atque lenibus* humorum *commotionibus*: 3.) sufficientibus interim ad *excretiones periphericas*; sive simpliciter *diapnoicas*: sive *exanthematicas*: 4.) specialissimê verò peculiari *mensurae periodicae septenariae* superstructas: qualem in fatalibus veluti *momentis* turbari, inauspicatum, imò funestum sit. 5.) Si verò haec actio commodè succedat, non solum certa, sed etiam prompta, atque plena, salus atque sanitas alacriter revertatur.

XLVI.

Secundò, quod *Ars* antè omnia, ut in genere, huic

ſpontaneæ Naturæ methodo ſubſervire debeat: in ſpecie vero hunc ſuum ſcopum aliter aſſequi non poſſit, quam ſequentibus Methodis, 1.) Nihil ultrà debitam Naturæ (*materiæ*, & idoneorum *motuum*,) indolem, exemplum, & imitationem. 2.) Eoque ipſo abſtinendo, tum in genere ab omnibus ſanguinem *acrius commoventibus* medicamentis, ſub nomine *Alexipharmacorum*, atque *Diaphoreticorum* formulis, quæ ſimul energiam qualemcunque acriter *excalefacientem* poſſideant: 3.) Imò, hoc ipſo intuitu, vitando etiam ipſa *regimina* ab hac proportione aliena 4.) Tantò magis autem, omittendo omnes *intempeſtivas*, ſecundùm exquiſitas *periodos*, *incitationes*; obſervando verò potiùs *inclinationes ſpontaneas*, easque promovendo magis, quam ullo modo turbando. 5.) Hoc ipſo verò reſpectu, evitando omnia medicamenta *incerta*, nedum ipſo facto *ambigua* ſeu *ancipitis*, efficaciæ: 6.) Uſurpando verò, vel plane nulla ſtrictè dicta medicamenta; ſed ſoli eſculentorum quidem abſtinentiæ, potulentorum autem ut diluentium, uſui modeſto magis indulgendo: 7.) vel talia medicamenta uſurpando, quæ antedictis ſcopis ſecundum Rationem & Experientiam potius ſatisfacere, quam illos quoquo modo labefactare poſſint.

XLVII.

Cujusmodi ſunt *Abſorbentia* cum *Antimonio diaphoretica* & *Nitro*; *Abſorbentia* Aceto, aut Acetoſitate citri *ſaturata*, & inprimis liquamen horum: *Nitrum*, pro re nata, etiam largiùs, ſed tamen ſucceſſivè, uſurpatum: *Acida* NB. inprimis pro maribus adultis, ad exquiſitũ ſaporem tolerabilem tamen, uſurpata; ubi etiam *Mixtura ſimplex* non contemnendi eſt uſus: tandem *Alexipharmaca* temperanter interpoſita: magis tamen *repetitis parvis* quàm ſimultaneis *largioribus*, doſibus: quorſum etiam regimina ſpectant, providè inſtruenda, ut ne quid

præ-

præproperè, aut *nimis*, fiat. Ubi tamen, in *tenerioribus* inprimis atque sensibilioribus, etiam ipsæ *Aquæ diapnoicæ, Scordii, Scabiosæ, Cardui benedicti, Plantaginis, Florum Sambuci, Florum Tiliæ &c.* (abstinendo ab Aqua *Fumariæ* in exanthematicis æq; ac aliis,) non contemnendi sunt usus, inprimis in infantibus. 8) Possunt etiam in usum trahi *Analeptica*; modo caveatur abusus *acriorum aromacticrum*, sed potius insistatur *temperatis*: minimè interim metuendo gratum saporem sufficiente *Sacchara* aut *Syrupis* conciliandum; nec etiam, exceptis solis *Variolis*, *Acidorum* usum, alterandi scopo: nisi quidem plane *individualis aversio* aliquid prohibere videatur. Interim non sola *Acida mineralia* hic in considerationem venire debent, sed est ad hos usus minime certe contemnenda *Acetositas Citri*: sicut hæc eadem, Oculis cancri *saturata* ad amissionem omnis saporis, etiam alterandi energiam exhibebit majorem, quam imperitus crediderit, inprimis ubi *pectoris* aliqua oppletio aut tussis, concurrit. 9) Si denique *periodum* suam febris explevit, & meliorem jam euphoriam patiens præ sese fert, præstat tamen per aliquot adhuc dies *cautè* sese gerere, circa *aërem liberum*, & qualescunque *refrigerationes*; quin etiam circa *appetitum* revertentem, ne quid nimis simul & semel fiat: E *medicamentis* autem, *temperatam* aliquam Tincturam aut Essentiam *alexipharmaco-diapnoicam*, refractis dosibus continuare, donec sangvinis plenaria *depuratio* absoluta, & *commotio* ejus sincere iterum in tranquillitatem redacta sit.

XLVIII.

Summo vero jure meritoque notanda etiam venit atque, tertio loco, inculcanda cautio, ne quid vel sponte patientis, vel opinione artis malè fundata, *perperam* & insalubribus ausibus, tam reliquo instituto, quam mediis

 he-

heteroclitis, perpetretur. Quam ipsam etiam rem complectemur aliquot positionibus. Cavendum nempe est 1) ne malignis febribus adhibeantur *fortes commotiones sangvinis*, per *Regimina* valdè coacta, cum *concalefactione* insigni corporis; ad sudandum destinata; sed *turgescentiam* solùm sangvinis intempestivam, & *animi* simul perturbationem impatientem & anxiam, certius introducentia: vero interim genio, tam *materiæ*, quàm proportionati *motus* pro illa, inidonea, imo ad *turbandum* potius & pervertendum *proportionatos* successus, aptiora. 2) Cavendum, ne par inconditus effectus introducatur per *Medicamenta* nimium calida, aut sangvinem exagitantia *intestino* motu: aut *progressivum* ejus liberum motum alterare apta: inprimis sub reliquo adhuc inaniore prætextu, efficaciæ peculiariter *alexiteriæ*, nullo interim uno ad fidem promerendam idoneo exemplo aut experimento suffragante: Nedum ut sub tali artificiali insigniter alterata *formula*, talem efficaciam præstare valerent: quod de *spiritu cornu cervi*, sale volatili *viperarum*, *cornu cervi* quomodocunque calcinato, *unicornu fossili* dicto, *Terris sigillatis*, largioribus dosibus *Myrrhæ*, *Croci*, interno usu *Camphoræ* largiore, copiosiore *spiritu tartari* valde rubicundo, alexipharmaco nomine celebratis simul sensibiliter *adstringentibus*, Radice *Tormentillæ*, *Bistortæ*, imò ipsius *Contrayervæ* largius datis, &c. omni modo valet. Quibus etiam 3) jungenda venit circumspectio debita, in suscipienda *promotione eruptionis exanthematum*; ne quid vel ratione temporis vel ratione ipsius *activitatis*, incondite suscipiatur: nempe vel prorsus *intempestive* atq; *præmature* expulsionem urgendo: vel sponte abunde successura, inconsulta *exstimulatione* nimium exagitando: quæ certe intempestiva officia nimium quam sæpe pessime consulunt toti negotio, & omnia in deteri-
us

us conjiciunt. Quorſum nempe etiam 4) omnibus utique modis ſpectat, prudens atque perita obſervatio, tum ſenſibiliorum *temporum periodicorum*, *indicatoriorum & criticorum* vulgo dictorum: tum *paroxyſmorum* qualiumcunque in illis febribus hujus cenſus, quæ tales præ ſe ferunt, cujusmodi inprimis ſunt *petechizantes*, quin etiam *purpuræ miliaris* feraces. Ubi etiam 5.) benè perpendendum venit, quid de *actuali ſudorifero* regimine bonæ ſpei concipiendum eſſe poſſit; & an utique hæc *excretionis* forma, vero genio materiæ morbidæ & emotionis ejus, quadrare poſſit: & non potius *lenis transſpiratio* ſatisfacere hic poſſit, & ad quaslibet harum febrilium ventilationum intentiones ſufficere Certe verò 6.) exemplis facilè docere poſſemus, quam malè cedat patientibus, quando v. g. in *purpuræ miliaris maligna* febrili commotione ad eruptionem, tum *Regimina* inſigniter æſtuoſa, & directe ad *ſudorem* exturbandum inſtructa, tam *Medicamenta* acriter *calida*, & ſanguinem valde turgefacientia, temerè inſtituuntur & adhibentur. Sicuti profecto etiam in *Petechizantib9* hujusmodi coepta valde frequenter, imò po 19 communiter, peſſimè ceſſiſſe ſatis multis exemplis memini ego Præſes: ubi ad minimum *multæ* admodum, & valde *coloratæ*, maculæ, non paucis exemplis autem etiam *Purpura unà* cum maculis, valde copioſè ita erupit, cum ſumme anxia oppletiva patientis *anguſtia*, *æſtu* febri tali alias inſolito, *capitis doloribus* præter ſolitum ferocibus, *mentis perturbationibus* citò invaleſcentibus, *incontinentia* hinc patientis jactabunda, *aphthis*, & *morte* maturè ſubſequente. Ubi nempe prudentiſſimè certe æſtimanda & intelligenda venit intentio illa, quam vulgus in ore habet, *venenum à corde depellendi*: an vere tale quid poſſit aut debeat fieri: & quanam ratione atque methodo obtinendum ſit hoc propoſitum. Ubi profecto quilibet cordatus Practicus habebit, quod partim de fundamento traditionis curioſius perpendat, partim de experientiæ ſuffragio, vigili induſtria circumſpiciat, *quænam medicamenta*, *& quousque*, vere præſtare poſſint & exhibere effectum, qui de illis vulgò prædicatur, *alexiphar-*

macum: Ut certè in vera necessitate deinde habeat, cui ita insistere possit, ut conscientiæ suæ securus esse queat: quod certe cordatè ad animum revocari, omni modo meretur. 7.) *Venæsectionis* usum quamobrem in febribus malignis non probare possit, latius propria Dissert. deduxit D.D. Præses, rationibus imprimis innixus, quæ experientiæ constanti superstructæ sunt, quam vel recentissimis exemplis, si opus esset, statim confirmare in proclivi foret. 8.) Ceterum, evitare utique etiam ipse patiens debebit, inconditum circà *refrigerationes* & *jectigationes* neglectum & in continentiam. Sicut etiam internus *actu frigidorum* usus inprimis haustibus ingurgitatorum, potulentorum, utique nihil certius quam insigniter nocere potest: unde omnis incontinentia, quantum usquam fieri potest, evitari utique debet. 9.) Opiata an unquam in *acutis malignis* quoquo modo *necessaria* esse possint? an *sincerè utilia*? an etiam solum *secura*? an verò potius *damnis* conciliandis propior? & qualibus, levioribusne, an verò gravioribus etiam? relinquimus, imò vero commendamus cujuslibet Practici tam circumspectæ pensitatioui, (*quænam symptomata, & quatenus, verè urgeant,*) quam sollicitæ observationi in ipsa experientia: ne *stuporibus*, *deliriis*, totius *typi* repentinis perturbationis, *angustiis & anxietatibus* internis, *sudationibus frigidis*, tanquam. stipatoribus odiosissimis, *mors* introducatur. Sine *Opio*, tam vivere, & satis commode morbi decursum superare posse patientes tales; tum nihilusquam gravioribus aut deterioribus symptomatibns, etiam mori, multiplex omnino testatur experientia. Sicut, ex adverso, prudens & perite dexter usus *Nitri*, aliis convenientibus remediis sociati, certè omnis generis graviorum *exacerbationum* ferociæ facile tantundem, imò verò *sincerius* atque penitius, detrahere potest, & nihilo etiam *segnius*, quam usquam *Opium*: *damna* vero, nisi plane stolido ab usu, certo nulla inferre: id quod ego Præses, non ab aliorum traditione, aut credulo auditu, sed jugi, numerosa, constanti, & certe nihil stupida aut improvida, experientia, assevero, & possem etiam ejus rei testes nominare Viros Medico

dicos Practicos, cum cura efficacium medicamentorum usui invigilantes; quos de tali, qualem ego laudo, *Nitri* usu, optantes audio, ut ulli alii medicamento *alexipharmaco, diaphoretico*, & quocunque tandem modo ad quascunque *febres* vulgo laudari solito, par *certitudo, sinceritas*, & *securitas* efficaciæ promissæ, cum veritate asseri atque vindicari posset, & tam bona conscientia fides adhiberi, quam *Nitro* in quibuslibet febribus pro illis effectibus, quibus illud â me destinatur, decenter adhibito.

XLIX.

Ita demum confidimus satisfecisse proposito nostro, & monstrasse, quod vera METHODUS, RATIONI & EXPERIENTIÆ conformis, *malignas febres recte tractandi*, consistat, in *tranquilla atque placida, excretionum*, inprimis sub *halituosa* consistentia procedentium, *ordinata*, atque *tempestivà*, administratione, & quantum necessitas postulet, *promotione*: Abstinentia vero â *fortioribus*, *tempore* atque *modo* importunis, exagitationibus: A *Medicamentis* etiam, magis *Opinione*, quam vera *experta* efficacia notis, in re *periculosa*, *ancipiti* & simul *brevi*, non temere inconsulta fiducia celebrandis: ante omnia verò, nihil *præpostere*, tam ratione *loci* quam *temporis*, audendo, sed potius *opportunitates*, vero Naturæ ordini consentaneas, quovis modo observando, & si sponte non satis obsequantur, provocando, aut imitando. Ita enim demum, & non aliter, licet sperare optatum eventum, *salutarem*, pro hujusmodi Febribus; ante omnia in subjectis, quæ Medici consilium communissime implorant, *delicatioribus* atque *sensibilibus*. Ubi interim solertioribus, & veras observationes amantibus, commendamus, ut in subjectis *durioris atque robustioris* eoque ipso *constantioris* vitalis indolis, animum advertant ad *autocraticas* illas energias, quibus non solum febres tales, *etiam sine ullo externo adminiculo*, quantumcunq; *artificioso*, ad sanitatem revertuntur: sed quibus etiam, in ejusmodi subjectis, indies *alieniores* ausus qualiumcumque heteroclitorum artificiorum, ita *eluduntur*, aut contumaciter negliguntur, ut vel *heteroclitum*, vel planè *nullum* effectum edidisse, videantur; interim tamen *salutaris* progressus atque successus nihilominus non aliter

sequa-

sequatur, aut certè non multò aliter, quam in aliis, ubi similes alaxiæ non intercesserunt. Ubi nempe, pro conclusione, adhuc semel commendamus, ut *duobus* illis cumprimis phænomenis animum diligenter applicent solertiores; primò, quid in hujusmodi febribus, magno numero exemplorum, fiat *sine ullis artificialibus subsidiis*. *Secundò*, quid ab artificiis qualibuscunque verè *melius* habeant ægri, quod non solum effatu dignum videri possit, sed reverà operæ pretium, & arti sinceram dignitatem facere, sine mendacio prædicari valeat. Ita enim demum confidimus fore, ut vana atque frivola fiducia, in nusquam fundatas traditiones remediorum variorum, tanquam experimentali celebratione contra ipsam experientiam temere decantatorum, eo moderationis deducatur, ut potius *Methodo*, ab ipso DEO Naturæ humanæ injunctæ, *invigilare, subvenire*, & quoquo modo *suppetias ferre*, in animum inducat Medicus, quam inanibus hujusmodi conceptibus atque spei, de *directa efficacia medicamentorum* ut experimentorum alienissimo loco atque tempora inter veras *necessitates* atque *brevissimas opportunitates*, indulgendo, operam ludere, & tam Scientiæ quam Conscientiæ, ante omnia vero Ægris auxilii egentibus, malè consulere. DEUS autem T. O. M. largiatur pro re tam seria, nobis aliisqve, semper & promptum, & memorem, ac omninò constantem, intellectum. S. D. G.

Rebus studendo, qui cupit impiger
Adesse cunctis, ordine provehit
Ad altiora, fit gradatim
Doctior, & celebris manendo,
Hoc applicando de video virum,
Amice sua vis, qui bene passus es
Casus *majores*, dolores, ac maligna
Tempora quæ tamen haud nociva,
Sic dstitutus, cuilibet inclytus,
Cura parentum, colligit ipsemet,
Quid prosit ordo, qua ratione
Accipis emerita atque laudes;
Hinc excolendo, dante Deo sacro
Magrum talentum, pectore, dissitas
Oras videndo, non vacante
Perplacido; venerandus est
Et inde honores, qui tibi competunt
Recte mereris, credo que maximos;
Notas dedisti mente alacri
Nemine sic superante, dicam,
Addens, supremus quod Deus, integram
Te servet omni tempore Spitem,
Tuo labori adsit benedictio:
Esto beatus amore mundi

ERNESTUS AUGUSTUS FABER,
Advocat. Reg. Magdeb.

(o)